TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. **P_MSS_0773**

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

Cronache
Latine

758
a
777

I Passio SS. Hermagorae et Fortunat.

II Passio SS. Virginum Euphemiae, Dorotheae, Theclae et Erasmae
ex codicibus Eccl. Forojuliensis.
descripsit P. Antonius Comorettus.

Incipit passio Sanctorum Hermacorę et Fortunat.

Post resurrectionem Domini nostri Iesu Christi omnes Apostoli miserunt
sortes ut unusquisque in suā Provinciam proficisceretur ad predi=
candū verbū Domini. Ad urbem vero Romam profectus est beatus
Petrus Princeps Apostolorū ducens secū beatum Marcum; qui et ipse
beat. Petri primus fuit discipulus et morabatur cum eo in Urbe
Roma. Tunc dixit ad eum beatus Petrus. Quid hic nobiscum mo=
raris? ecce eruditus es de omnibus que fecit Iesus Nazarenus surge
et perge ad Urbem que vocatur Aquileia Ystrie Provincie! ad
predicandum verbū Dei. Tunc accipiens Beatus Marcus primam
sortem et baculū Pontificatus arripuit iter, et veniens pervenit
ad predictā Urbē que dicitur Aquileja. Veniens autē ad proxima
civitatem invenit ibi iuvenem nomine Ataulfum filium Ulfii
illustris et primi Civitatis qui magna lepra detinebatur. Tunc
interrogavit beatum Marcū de qua provincia iter faceret;
et ipse enarravit quod Christianus esset et medicus ad omnes
infirmitates curandas. Tunc Iuvenis audiens huiusmodi
sermones ad pedes eius provolutus rogabat eum ut infirmitate
eius curaret. Tunc beatus Marcus apprendit manū eius et
brachiū. mox lepra mundata est de manu et brachio eius.
Tunc videns iuvenis hec mirabilia. citius cucurrit ad Patrē
suū Ulfiū, et omnia ei narravit, que illi beatus Marcus fecisset.
Celerius cum magna turba veniens Ulfius. et inveniens beatum
Marcū ad portā occidentalem residentem rogare eum cepit
et dicere: fac filiū meū sanum! et omnia quecunque postulaveris
faciam tibi. Tunc dicit ad eum beatus Marcus. Quia si
credideris, in Dominū Iesum Christum ex toto corde tuo. videbis
filium tuum sanum. Ulfius exclamavit dicens! Credo in Domi=
num Iesum Christum. Tunc beatus Marcus accepta aqua baptizavit
iuvenem in nomine Patris et filii, et Spiritus sancti. et omnis
lepra eius mundata est: Videns autem Ulfius hec mirabilia
baptizatus est ipse et omnis familia domus eius et multitudo
magna populi baptizata est in illa die. Cumque beatus Marcus
predicaret per annos aliquantos. emicuit in cor eius desiderium

vultū sancti Petri videre. voluit occulte dimittere populum et
ire ad Urbem Romam. Tunc dei nutu audientes populi concurre-
runt diluculo, et vociferabant clamore dicentes. Qui mali egimus
quid peccavimus? quia tu nos vis derelinquere! Da nobis Pastorem.
Tunc beatus Marcus dixit ad populū. ut eligerent sibi quē voluissent
virū Xtianissimum. Turba populi elegerunt sibi ~~[illegible]~~ elegantem
personam nomine hermacoram. Tunc iter faciens cum beato Mar-
co ad Urbem Romam et a beato Petro baculū Pontificatus, et vela-
men sacramenti suscipiens factus est Prothon Episcopus Provinciæ
Italiæ. Et regressus ad Urbem Civitatis Aquileiæ Ecclesiæ suæ modera-
tionem composuit. Seniores et levitas ~~[illegible]~~ ordinavit. et post
ad Civitatem Tergestinam Pbrum et Diaconū direxit. et per alias
civitates similiter fecit. Hæc agebantur in Urbe Civitatis Aquileiæ
quæ est ex civitatibus Italiæ prima. Crescebat autem quotidie
fides Xnorū, crescebat in verbo Domini. crescebat etiam in chari-
tate ab adolescentia ipsorū usque ad venerandam ætatem non
aliud exercentes nisi orationibus et jeiuniis vacantes semper quæ
Dei erant meditabantur. Sed Dominus qui eos in una caritate
coniunctos semperque gubernatos custodivit ipse illos etiam et a
passionis gloria non separavit. Beatissimus Hermacoras cepit
predicare verbū Domini nostri Jesu XPi. plenus Spiritu sancto.
et per orationē dominicam Demonia ab obsessis corporibus eiciebat.
infirmos curabat. et cæcis facto signaculo super oculos eorū visum
reddebat. Concurrebant enim ad Sanctum Hermacoram Episcopum
omnis Italiæ Provinciæ populi videntes mirabilia quæ per illū Deus
faciebat. quia et per eum sancta multiplicabatur fides. et paganorū
insania confundebatur. Eodem vero tempore Imperante Nerone in
Urbe Roma et prefecturam agente Agrippa qui fuit filius fratris
ipsius Neronis. Tunc in Aquileiense directus est ~~[illegible]~~ Preses Sevastus
nomine. ut in eadem ut diximus administraret. Qui cum ingressus
fuisset civitatem. universi populi occurrerunt et vociferantes clama-
bant. sicut est solitum quasi indicibus. Alia autem die sedente eo pro tri-
bunali postquam immundas hostias obtulerant Demonibus Sacerdotes
ydolorum suggesserunt ei de Beatissimo Hermacora dicentes. Subveni

Domine Preses! Quantum templa Deorum desolata sunt per virum quemdam qui per suam magicam artem et verborum seductionem omnem populum à Diis immortalibus separavit. predicando illum qui à Judeorum populo in Judea est interfectus. Quem si tu dimiseris. omnes separat à sacrificio deorum! Et si hoc notum fuerit factum principi: incipies tu in magna culpa apud eum inveniri. Hec audiens Sevastus preses fremuit nimis sicut leo et precepit ut plurima turba militum urbem ingrederetur et eum cum magna admiratione ad suum presentaret auditorium. Hoc audito Sanctus Hermacoras Episcopus dixit omni clero. Viri fratres ingemiscamus ad Dominum. quoniam appropinquaverunt persequentes nos. Oremus itaque ut Diabolus qui sicut leo circuit querens quem devoret. elisus et prostratus iaceat sub nostris pedibus. Cumque universi orarent ad Dominum beatissimus Hermacoras hanc fudit orationem. Domine deus omnipotens unigeniti filii tui pater misericors qui non memoras iniquitatem populi tui sed vis penitentiam peccatoris ut convertatur à via sua iniusta et vivat in tua voluntate. te deprecor patrem omnipotentem et filium tuum Jesum Xtum qui potens es ad salvandas animas suorum in te confidentium libera nos. ut non dicant ubi est Deus eorum et da Domine Jesu Christe misericordiam servis tuis ut confundantur inimici nostri et cognoscant quia tu es qui confringes cervices - - - - - Cumque oraret ad Dominum! impetum facientes milites comprehenderunt Sanctum Hermacoram Episcopum. et ferro vinctum perduxerunt ad Sevastum Presidem. Cui cum fuisset perductus dixit ad eum Preses. Que est tua audacia! ut ad iniuriam Deorum et dearum nescio per quam artem et seductionem verborum omnem populum à Diis immortalibus separas! predicans illum qui à pilato est crucifixus! propter quem et Petrus similem accepit penam in urbe Roma. An nescis tale accepi preceptum! ut si invenero viros ac mulieres in hac perseverare vanitate diversis eos generibus tormentorum affligam? Quod si et tu in hac perseveraveris insania! in te correctionem omnium quos aggregasti faciam. ut per te discant omnes veneranda

numina deorum venerari. sicut et omnes faciunt Provinciae. Beatissimus
Hermacoras Episcopus elevans oculos suos in Celum: facto signaculo Xti in
fronte sua: ita constanter respondit. Ego ex iussione Domini mei Jesu
Xti ordinatus sum Episcopus: non quiesco predicare que mihi precepta sunt
a Domino meo Jesu Xto ut omnes a Diabolo detentos per verbum Domini
ad Dei revocem cognitionem. Quantum Deus magnus est qui est in Celis: qui
iubet celo dare pluviam: qui solem oriri facit super iustos et iniustos
ipsud predico omnibus diebus vite mee. Et Sevastus preses dixit. Ut
video certum est quod deorum Sacerdotes dixerunt quia per ista stulta
verba populum seducis. Ego enim non puto: quia tua hec lo=
quaris mente. Sanctus Hermacoras Episcopus dixit. Hoc certum est quod dixisti:
quia non ego mea loquor mente. sed ipse spiritus sanctus pro me lo=
quitur. Sic enim sacra scriptura continet. Cum ante iudicem
steteritis nolite cogitare quomodo aut quid loquamini dabitur enim
vobis in illa hora quid loquamini quia spiritus sanctus loquitur per
os in Xto credentium. Sevastus Preses dixit. Ego non verbis tecum con=
tendere quero. sed ad tuam festino salutem. ut credas, et sacrifices Diis
imortalibus. Quod si nolueris nec sacrificare dum tecum pacifice loquor,
postea vero cum confusione incipies Diis thura offerre. Multo enim
melius est tua bona voluntate hoc facere. Sanctus Hermacoras dixit.
De Domini mei Jesu Xti misericordia fisus sum. Si quia volueris pena=
rum genera exquirere exerce. Corpus meum quidem poteris tormentis
affligere anima autem mea in Xto fundata ab eius Angelis in Para=
diso collocabitur. Nam diis tuis qui sine anima sunt, sine auditu, sine
visu, sine gressu, deditus non ero. Hec audiens Sevastus Preses iussit
eum extendi, et nervis crudis cedi. Cumque cederetur Beatus Herma=
coras Episcopus aspiciens in Celum dixit. Gratias tibi ago Deus Altissime
Pater Domini mei Jesu Xti, quia cum sim indignus iubes me ad tuam
Deitatem pervenire et pietatem. Tunc Preses iussit clamare ad eum
crede sacrifica Diis. Nam incipies peioribus penis torqueri. Sanctus Episco=
pus respondit. Erubesce cum patre tuo diabolo, qui ab initio confusus a
servis dei est superatus. Iam semel et sepius dixi tibi. quia demonibus
vestris numquam sacrificabo. Audiens hec Sevastus Preses pallens nimio
furore et dixit ad eum per deos magnos quia sic te iustificiam ut nec
sepulture corpus tuum tradatur: Tunc Sanctus Hermacoras subridens
ait. Verum est quod in Scriptura scriptum est lege: quia in malevo=

* qui tol legno perche mancante la particola che non si trovai scritta, la lacuna ove ji pose esser segnata.

lam* introivit intellectus. Audiens hec preses jussit eum in eculeo
suspendi: et pectus ejus ungulis radi. Postea precepit laminas
ferreas candentes ejus pectori imprimi: et lampadas ardentes ejus
lateribus aplicari. et cum hec fierent sanctus dei martir pendens
in ligno ymnum Deo canebat dicens. Deus in adiutorium meum
intende: Domine ad adiuvandum me festina et confundantur
omnes qui ostendant servis tuis mala, et conterantur ab omni
potentia sua, et virtus eorum conteratur. Videntes autem po=
puli ejus magnam constantiam exclamaverunt dicentes. Magnus
est Deus Xpianorum sine ulla causa tormentatur vir Dei. non quiescit
die ac nocte confortare populum suis admonitionibus sanctis: nihil
inique gessit. pro qua hec patiatur causa? Tunc confusi sacer=
dotes Deorum dixerunt presidi. Vel nec manifestissime vides quod
antea diximus: quantum per magicam artem omnem seducit
populum a Diis immortalibus. Tunc iratus preses. jussit eum de
eculeo submitti, et in carcerem recludi propter populi seditio=
nem. Cumque recluderetur in carcerem orationem ad Dominum
fundabat dicens Deus excelse et adorande qui filium tuum Domi=
num nostrum Jesu Christum servili forma indutum ad terram de
Celo sancto tuo venire voluisti ut nos de servitutis jugo liberares:
respice hunc agonem et permitte me perseverare usque in
finem et pro tuo nomine consumari. Quoniam confidens in te
non timebo mala quia tu mecum es qui regnas in secula seculorum.
Et cum orasset hanc orationem: subito lumen nimium refulsit
in carcere, et odor suavis replevit carcerem. Quavis custos
carceris nomine Pontianus aperta interioris carceris janua ipso
quoque orante processit ad pedes ejus, et provolutus deprecabatur
eum dicens. Deprecor te per nomen Domini tui qui tantam tibi
claritatem concessit in tenebris ut miserearis mihi misero, et
ad Dei tui agnitionem me perducas ut per te liberet Deus tuus
animam meam perditam. Et dixit ad eum Sanctus Hermacoras
Episcopus Si credis ex toto corde tuo, ex tota anima tua omnia
possibilia sunt que postulas. Pontianus vero exclamavit voce
magna cum lacrimis dicens. Credo ex tota voluntate per ipsum
qui tibi tam mirabile direxit auxilium. Tunc jussit eum Sanctus
Hermacoras triduo ieiunium reddere. Medie autem noctis pre=
cepit Sanctus Hermacoras venire Petrum cum diacono suo. qui

et baptizavit eum in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. Postquam baptizatus est Pontianus irruit in eum Spiritus Sanctus et cepit preconia voce clamare per omnes platheas et vicos Civitatis dicens. Magnus est Deus quem Sanctus praedicat Hermacoras. Venite universi cives, et cognoscite qualis est deus Xtianos. Nam lapides coluntur qui obruant corda humana. lumen hominum tollunt. Nam lumen praestare non possunt sicut Xtus sancto suo praestitit Hermacore. Ad hanc vocem cucurrit ad carcerem universus populus et multi clarissimi viri videntes in carcere tale lumen Domino Deo egerunt gratias.

Cottidie autem confundebatur paganorum insania, et sancta fides sequebatur victoriam. Tunc audientes Sacerdotes paganorum cum magna insania clamaverunt dicentes Sevasto Praesidi. Quousque parcis huic mago! omnem subvertit populum. Ecce hic peiorem facit subversionem quam Petrus in Urbe Roma. Qualiter nosti Petrum punitum, tolle et interfice magum. Haec audiens Praeses dixit. Triduo mihi inducias date donec excogitem qualibus eum affligam poenis. Hoc autem dicebat timens populorum multitudinem qui per eum in Xto crediderunt qui frequenter magnifici viri ad eum concurrebant in carcerem! quos confortabat suis sanctis monitis. Aliquanti vero videntes tam immensum lumen non recedebant ab eo. sed in carcere commorabantur. Nam et omnis clerus eius ex quo Pontianus effectus est Christianus ingrediebatur ad eum quia et ipse Pontianus custos carceris praeparaverat se ut pro Xti nomine passionem cum eodem sustineret. Quidam vir magnificus ipsius Civitatis Evagorius nomine cuius filius a Demonio vexabatur. cum vidisset Sanctum Hermacoram in nulla parte corporis laesum, qui tales coram omni populo sustinuerat poenas! mittens se ad pedes eius et provolutus deprecabatur eum dicens. Miserere mihi, subveni pater. Per ipsum enim te precor quem praedicas quia confido quod per tuas orationes possit Xtus filium meum a Demonio salvare. Dicit ei Sanctus Hermacoras. Si credis Xtum videbis filium tuum salvum. Evagorius respondit. Credo Christum filium Dei pro quo talia ista sustines! quia potens filium meum salvare. Dicit ei Sanctus Hermacoras. Non ego sed Dominus Iesus Xtus faciet secundum suam Deitatem. Nam et ego peccator sum sicut et tu ipse. Et iussit infantem

adduci. erat enim annorum duodecim. Interrogavit eum Beatus
Hermacoras dicens. Quantum tempus est ex quo hec causa ei evenit
respondit. Per triennium non est dies neque nox! in quibus possit
modicum quiescere. Multocies eum in templa Deorum adduxi!
et hostias pro eo imolavi! et nihil ei profuit. Te credo in Christo
quem tu predicas quia poterit eum liberare. Audiens hec
Sanctus Dei subridens ait. Modo tibi Christus ostendet! quanta
prestat credentibus in se. Tunc Sanctus Hermacoras flexis genibus
percuciens pectus suum exclamavit ad Dominum coram dicens.
Domine Deus omnipotens pater qui es in celis qui ante constitu=
tionem mundi es qui seculum in tenebris positum verbo sancto
tuo dixisti. fiat lux et facta est lux! qui celum camerasti et
terram composuisti! qui celum item stellis adornasti! qui
mare infrenasti et terminum ei posuisti! quem non transgre=
deretur! qui omnia elementa propter nos peccatores constituisti:
te deprecor patrem omnipotentem et filium et spiritum sanctum
qui regnas in unitate fac mirabilia Domine Iesu Christe propter
nomen sanctum et presta in te credentibus! ut liberes istius inno
centis animam ab immundo spiritu; qui ad tuam Deitatem refu=
gium fecit! ad confirmanda corda eorum qui in te crediderunt!
et qui credituri sunt ut cognoscant quia tu es Deus altissimus qui
regnas per cuncta et in futura secula seculorum Amen. Et cum
complesset orationem increpavit Demonem dicens. Tibi dico
immunde spiritus! precepit tibi Dominus Iesus Christus ut recedas
ab hac innocentis anima! que ad eius confugit fidem. Hec
audiens Demon omnibus videntibus qui ibidem erant in
carcere exiit ab eo. Videns autem gregorius hec mirabilia!
procidit ad pedes sancti Episcopi et martiris deprecans eum
ut baptismum mereretur. Media nocte autem occulte abiit
sanctus Hermacoras cum clero ad domum Gregorii, et baptizavit
eum cum coniuge sua et duobus filiis suis omnique familia
sua in nomine Patris, et Filii et spiritus sancti. Postea vero
dum revertaretur in custodiam universi. Presbiteri vel Diacones
ecclesie omnesque clerici seu ordines ecclesie postulabant
eum cum lacrimis dicentes. Tu pater noster tu a nobis frans

ablatus! quem faciemus universo gregi tuo pastorem! aut quem doctorem
vite inveniimus eterne! Nunquid possumus ubi pastor non est pascua
invenire! Sin autem et nos omnes una tecum moriamur! Beatissimus
Hermacoras autem confortans animas eorum iussit eis ordinare nomine
Fortunatum archidiaconum discipulum suum! quem ipse ex infantia
cum Dei enutrierat timore. Quedam vero mulier vidua illustris
Alexandria nomine timens dominum audiens Beatissimum Her-
macoram sanctum dei epm, et tantas virtutes fecisse in carcere misit
secreto ad Pontianum carcerarium ut noctis silentio ad eu ingrederetur.
Erat enim oculis apertis nihil videns. Dicebat vero si tetigerit
oculos meos invocato nomine Christi salvabor. Que mulier pervenit
nocte ad carcerem procidens ad pedes sancti Hermacore Episcopi et
dicens ei. Sancte ~~sed~~ Vir Dei fac me sanam. Dicit ei sanctus Her=
macoras. Beata est fides tua! quia priusquam audires verbum veri-
tatis mentem tuam bene fundasti. Propterea illuminabit oculos
corporis et cordis tui Dominus Jesus Xtus. Et faciens crucis signum
super oculos eius continuo vidit lumen et reversa est gaudens.
et dans gloriam Deo et ieiunavit tribus diebus. Et mittens Beatus
Hermacoras Fortunatu Archidiaconum suu baptizavit eam intra
domu sua cum omnibus ~~[illegible]~~ suis in nomine Patris et Filii et Spiritus
Sancti. Post aliquantos dies audiens Sevastus preses de beata Alexan=
dria quia baptizata est a Fortunato Archidiacono iussit eum com-
prehendi et ferro vinctum ad carcerem duci. Quem cum vidisset
Sanctus Hermacoras Domino Deo egit gratias! quia dignatus eum est
eius martirio coniungere. Per dies autem plurimas multa mi-
rabilia Dominus in carcere ostendit. Concurrentes ad eos omnes
varias infirmitates habentes curabantur ab eis in Nomine
Jesu Christi Dni Nri. Videntes autem sacerdotes paganorum
colligentes populum incredulum unanimiter venerunt ad
Sevastum presidem cum fustibus et lapidibus clamantes et
dicentes. Civitas tota perit per te quia facis usque nunc vivere
hominem qui per magicas artes populum alienat et convertit
mentes eorum ut separentur a Diis. Tolle magum! occide
maleficum. Si autem nolueris! teipsum interficiemus. Tunc
Sevastus Preses timens populum qui per eum crediderunt in
nomine Christi! misit nocte spiculatorem! et in carcere decola=
vit Beatissimum Hermacoram Episcopum, et Fortunatu Archidiaco=

nium eius. Quorum corpora colligens Pontianus custos carceris
et omnem cruorem sanguinis eorum in unum collocavit locū.
Audiens autem hoc Gregorius ~~[illegible]~~ cuius filium q̄ demonio
liberavit sanctus Dei Hermacoras, et Alexandria ab eo illu=
minata fuerat; venerunt nocte oculte cum linteaminibus
mundis et valde pretiosis et aromatibus condiderunt corpora
sanctorū martirum sepelierunt ea foras murū Civitatis
Aquileæ in Agello memorande Alexandre in pace.
Universi autem venientes ad corpus beatissimi Episcopi et
martiris Hermachore primi Aquileiensis Civitatis quacunque
detenti infirmitate sanitatem recipiebant in nomine domini
nostri Iesu Christi. Martirizatus est autem beatus Hermacoras
Episcopus una cum sancto Fortunato Archidiacono suo
iiii Idus Iulii Regnante Dn̄o N̄ro Iesu X̄to cui est honor et
Gloria in secula seculorum Amen.

Ex libro qui sic incipit ut sequitur. II

sic liquis sub:

Pass. Sanct. VV. Eufemie Dorothee. Tecle. et erasme.

Ex cod. Vendramiceo Forojuliensi sic incipit

Passio SS. Eufemie, et Dorothee Tecle et Erasme V. et M.

Regnante Nerone imperatore in urbe Roma et Sevasto preside residente in civitate Aquilegia: fuit vir quidam in civitate eadem Valentius nomine dives nimis: sed in errore perseverans. habens duas filias pulcherrimas. maior dicebatur euphemia. et minor Dorothea. Valentianus autem frater Valentii vir erat Xpianissimus qui a beato hermachora Epo pabulum vite susceperat: et in fide Xpi occulte perseverabat. et ipse habebat duas filias: quarum maior tecla: minor vero vocabat: erasma. Erat vero Tecla annorum duodecim. et erasma novem. Consueverant venire Euphemia et Dorothea ad domum patrui sui Valentiani. et confabulari cum sororibus suis tecla et erasma. sicut mos est feminarum. Valentianus autem erudiebat eas secrete de doctrina Dni. et sub nocturna hora perduxit eas ad domum ubi scs hermachoras pdicabat eps. Tunc beatus Hermachoras eps cathechizavit eas. et reverse sunt ad domum patrum suorum. et desiderabant cottidie pervenire ad fontem baptismi: et die noctuque sedulo corde Dnm deprecabantur. Cumque solito more peterentur a Valentio et Valentiano patribus earum in coniugium a viris civitatis. Valentius et Valentianus patres earum nolebant eas tradere maritis: quia parvule erant et multum diligebant eas. Cepit autem turrim edificari excelsam Valentius in latere domus sue iuxta flumen fluvius Natissam quod fluit iuxta muros Aquilegie civitatis: in qua nil plus quam due fenestre habebantur. ubi filias suas propter nimiam pulchritudinem earum in eminentiori loco constituere volebat. Quadam vero die dum pater earum preexisset ad tergestinam civitatem. pérexérunt beatissime virgines eufemia et dorothea ad magistros qui turrim edificabant. et interierunt ad eos dicentes. Rogamus vos optimi magistri. Quod est hoc edificium quod pater noster construere facit.? Qui dixerunt: una habitatio debet esse. Que dixerunt. Si non debet esse habitaculum: in isto loco tertiam fenestram

Alter Codex

II. t.

Alter Codex.
Cumque ex more civitatis sicut fieri solet venirent cives et quererent eas Valentio Patri earum scilicet Euphemiam et Dorotheam in matrimonio eis dare deberet. Pater earum nolebat eas nuptiis dare

fenestram facite amplioerem quam alias. Et fecerunt sicut
eis preceperant beatissime virgines [Eufemia et Dorothea]. Erat autem Natissa fluminis
fluens per medium terminum per arcus volutos. et erat in medio
quasi fons. ibidem consueverant se beatissime [virgines] lavare.
Cum quadam die ad lavandum convenissent sacratissime virgines
Eufemia Dorothea. Tunc advenerunt [et germane] sorores earum Tecla et
Erasma. et prostraverunt se in terram dominum deprecature.
Tunc beata Eufemia elevatis sursum manibus oravit dicens.
Domine ihesu christe fili dei vivi qui dixisti neminem posse intrare
in regnum celorum. nisi quis renatus esset ex aqua et spiritu sancto.
Tu deus omnipotens qui es rex regum. et dominus dominantium.
sanctifica aquam istam. ut fiat [in] nobis fons aque vive in nomine sancte
Trinitatis. et sit munda ab omni spurcicia et fraude diaboli.
quatinus corpora nostra possimus lavare. ut munde et immaculate
ab omni sorde ydolorum effici mereamur. qui vivis et regnas in
secula seculorum. Tunc responderunt et alie [tres virgines] ~~sorores~~ dorothea, tecla
et erasma. et dixerunt amen. At beata Eufemia orante
subito natissa fluminis retro retraxit undulas et stetit. Eadem
hora supervenit beatus valentianus. et videns tam magnum
miraculum letus effectus est. et currens nunciavit beato Hermachore
episcopo. hoc audiens beatus Hermachoras gratias retulit deo. Mora=
batur autem beatus Hermachoras episcopus in loco ubi sanctus Marcus
Evangelista sedem statuerat. infra civitatem Aquilegiam et voca=
batur locus ille pobulum(?) vite. Beatissime vero virgines Eu=
femia dorothea tecla et erasma expandentes manus suas ad
celum deo gratias referebant. Tunc elevatis oculis [ad celum] beata eufemia
oravit dicens. Gratias enim tibi ago Domine ihesu christe qui me
indignam ancillam tuam exaudire dignatus es. et nunc domine
deus ostende nobis misericordiam tuam. ne gaudeat de nobis
inimicus. sed protege nos. et confirma nos in veritate tua.
et doce nos facere voluntatem tuam. quia tu es ~~deus~~ deus
noster qui vivis et regnas in secula seculorum amen. Hec dicente sancta
Eufemia. advenit sanctus hermachoras episcopus et fortunatus archidiaco=
nus cum tribus clericis. Honorato. benigno. et amato. et beatus

valentianus

Valentianus cum eis. Tunc beatus Hermachoras eps dixit ad eas.
Pax vobis filie. Et ille respondentes. Dns sit tecum pater.
Et dedit orationem dicens. Dne jhu xpe qui a Johanne in iordane
flumine baptizatus es. & per quem unde Jordanis sanctificate sunt. Tu
Dne dignare sanctificare hanc aquam.† ut in nomine sce Trinitatis
sit sanctificata. Et post completam orationem scs hermachoras eps
fecit eas expoliare vestimentis suis. et ascendit super petram
que erat posita sup latus dextrum. et baptizavit primitus beatam
eufemiam sub trina mersione. in nomine patris et filii
et spus sci. et postea dorotheam. teclam et erasmam. similiter Et ipse beatus
Hermachoras suscepit eas de aqua. et facte sunt eius filie in xpo.
et vestivit eas vestimentis novis. que beatus valentianus facta habe=
bat. Tunc beatus Hermachoras cepit eas ammonere de doctrina
domini nri ihu xpi. et qualiter disponsate erant sponso celesti.
et consignavit eas signo crucis in frontibus earum. et benedicens eas
commendavit eas beato Valentiano patri et avunculo earum.
ut cottidie erudiret eas de doctrina domini nri jhu xpi. Et re-
versus est beatus Hermachoras ad hospitium suum primo diluculo.
III .I Et ecce ipso die veniens pater earum valentius. et videns tres
fenestras in eadem domo quam faciebat construere. dixit servis
suis. Quis vobis precepit tertiam hic fenestram construere? At
illi dixerunt. Dne nos filie tue preceperunt nobis in isto loco
tertiam construere fenestram. Bene inquit si ipse preceperunt bo=
num michi est. Tunc dixit pater earum ad eas. Filie vos
iussistis illam tertiam fenestram construi? Que responderunt.
Nos pater. Et ille dixit. Cur hoc filie? Cui ille dixerunt. Ut
maius lumen intus fulgeat pater. † et ut per unam sol aspiciat.
per aliam sorores nostre. et per tertiam nos. Noluerunt autem
indicare ei quia eam causa orationis. aut pro amore sce
trinitatis construere fecissent. Valentius pater earum non
intellexit quo ordine ista prosequerentur. Transactis autem
multis diebus. cum cottidie nobiles civitatis ab eo illas in
matrimonium peterent.† dixit ad eas. Filie venerunt quidam
homines nobiliores huius civitatis. et quesierunt vos in coniu=
gium sibi copulari. Quid autem inde vobis placeat dicite.

sce

Sce Virgines eufemia et Dorothea responderunt. Absit a nobis pater ut hoc faciamus. Habemus enim sponsum immortalem qui est in celo. quique inviolata custodit corpora nostra et nos in famulatum tradite sumus illi ad serviendum. Sed cum pater earum inquisivisset quisnam hic esset de quo dicebant. ille dixerunt. Xpus crucifixus filius Dei vivi. ipse est et ipsum adoramus. Mox ut pater earum intellexit quod essent xpiane. arripiens gladium. voluit eas interficere. Ille vero cum hoc viderent. fugerunt in domum avunculi sui valeriani. Tunc beatus valerianus videns quia fugiebant a facie fratris sui valencii absondit eas et filias suas in angulo ~~cubiculo~~ domus sue. et precepit familie sue ut nemini dicerent. et ipse perrexit ad scm Hermacho=ram episcopum. et nunciavit ei. Hec audiens beatus Herma=choras est- fudit pro eis orationem ad Dominum. Valencius autem pater earum furore diabolico plenus. cepit eas persequi cum servis suis. Qui cum venisset ad domum valeriani fratris sui vidit duos servos eius stantes ante fores et dixit ad eos. Num vidistis filias meas hic fugientes? Unus earum respondit. Non Domine. Alter vero spu diabolici plenus. indicavit ei dicens. Ecce hic sunt in Domo senioris fratris tui. Que cum audisset valencius pater earum cum magno furore ingressus est in domum fratris sui. et venit ad angulum ubi erant beatissime virgines. eufemia, dorothea tecla et erasma absconse. et confregit fores et introivit una cum servis suis. et apprehendit eas. et dixit ad filias fratris sui valeriani. Ubi est pater vester magus. qui seduxit filias meas? et vos pariter incantatrices similiter deceptas habetis filias meas. Et comprehendit eas, et adduxit ad domum suam pariter cum filiabus suis. et dixit ad eas. Per salutem deorum gravi pena vos cruciabo. Et fecit eas detrudi in carcere. Beata autem eufemia videns servum qui eas indicaverat. maledixit eum. Qui statim arreptus a demonio proiecit se in natatorio fluminis et expiravit. Beatus autem Valerianus cum venisset ad domum suam. et ita factum invenisset. gratias retulit salvatori xpo. et venit ad scm Hermachoram epm et nunciavit ei qualiter

pater eius

qualiter frater eius comprehendisset filias suas. Tunc scs Herma-
chora epc deprecatus e dominum pro ipsis. et dixit beato Valentiano
et sacerdotibus suis. Scitote fratres quia tempus appropinquat de
quo Dominus noster Ihesus Christus dixit ad discipulos suos. Tradet fra-
Marci 13. 12 ter fratrem in mortem. et pater filium. et insurgent filii in paren-
tes et morte afficient eos. et eritis odio omnibus propter nomen meum.
Luc. 21. 18 et capillus de capite uro non peribit. in paciencia enim ura possi-
debitis animas vestras. Mane autem facto pervenit Valentius
nequissimus ad Sevastum presidem. et nunciavit ei omnia que
acciderant de filiabus suis. et qualiter seducte erant per fratrem
et filias eius a cultura Deorum. et quomodo eas comprehendisset
in domo fratris adorantes xpm crucifixum. Tunc Sevastus preses
iussit beatas virgines eufemiam Dorotheam. teclam. et erasmam.
in conspectu suo adduci. Erat enim cor earum fiduciam habens
in domino et in oratione sci Hermachore epi. Cum quem adducte
stetissent in conspectu Sevasti presidis interrogavit eas virgines dicens.
Dicite michi puelle. quid vos separavit a cultura deorum
nostrorum. non sacrificatis diis? Beatissima Eufemia respondit.
Vos sacrificatis quod colitis. nos sacrificamus quod scimus.
Scimus enim dominum nostrum ihm xpm et hunc crucifixum quem
primitus in ista civitate beatus marcus evangelista predicavit.
et modo predicat beatus Hermachoras epc et discipulus, et pe-
dissequus beati Marci. Ipse nos docuit veram fidem et illum adora-
mus quem ipse predicat ihm filium dei natum ex maria virgine.
passum sub pontio Pilato. crucifixum mortuum et sepultum.
qui descendit ad inferna tertia die resurgentem a mortuis. qui per quadraginta dies
conversatus est cum discipulis suis. et post ascendit in celum.
et quinquagesimo die spm scm suum aptis suis misit et se-
det ad dexteram patris. inde venturus est iudicare vivos et
mortuos. Ipsum adoramus. nos ipsi sacrificamus sacrificium laudis.
Audiens hec Sevastus preses. iussit eas virgis nudas cedi. Cum
cederentur autem beatissime virgines Euph. Dor. Tec. et Er. ceperunt hunc versi-
culum psallere. Bonum est confiteri domino. et psallere no-
mini tuo altissime. Ad annunciandum mane misericor-
ps. 91 ex versione vulgata diam tuam. et veritatem tuam per noctem. Et cum diu cederentur et iterum ceperunt dicere Quam magnifi-
cata sunt

psal. ide cata sunt opera tua domine nimis profunde facte sunt cogita=
tiones tue. Vir insipiens non cognoscet et stultus non intelliget
hec. Cum exorti fuerint peccatores sicut fenum et apparuerint
omnes qui operantur iniquitatem ut intereant in seculum
iiii. seculi. tu autem altissimus in eternum domine. Postquam
milites flagellaverunt eas. iussit iterum preses eas duci ante
se. Que cum adducte fuissent, dixit eis preses. Miserere uestre
non parcitis pulchritudini et generositati vestre accedite et
sacrificate diis ut bene sit vobis: quia per salutem deorum. et
per salutem cesaris si non sacrificaveritis diversis penis vos
interficiam. Vos tantummodo sole contempnitis preceptum augusti.
Beata eufemia respondit. Dic mihi tu filius mortis et stipula
inferni. quomodo ausus es xpianos homines compellere ut
sacrificent demoniis et xpm respuant. Tu sacrifica demo=
niis qui cum ipsis participationem accipere cupis. Nam si
intellexisses verba vite. oporteret te xpo obedire et credere
et ipsum adorare. quia ille pro nobis (passus est. et pro nobis) crucifixus est. et a nobis
vere de sepulchro surrexit. ascendit in celos sedet ad dexteram
Patris. inde venturus est iudicare vivos et mortuos. et reddere
unicuique secundum opera sua. Si vis sacrificare illi sacrifi=
ca. non lapidibus quibus nos compellis sacrificium immolare
qui nec sentiunt. nec intelligunt nec tibi nec aliis possunt
prodesse. Audiens hec nequissimus tervastus preses furore com=
motus iussit eas versis pedibus suspendi. et cum malleis capita
earum contundi. usque dum per nares earum sanguis stilla=
ret in terram. Et cum contunderentur ceperunt gratias agere
domino dicentes. Gaudebunt labia mea dum cantavero tibi.
et anima mea quam redemisti dne per preciosum unici
filii tui sanguinem. Videns autem tervastus quod nichil
in eis proficeret. iussit eas iterum in carcerem trudi. Mane
autem facto iussit eas preses duci ante se. et respiciens vidit
plagas earum sanatas et dixit ad eas. Ecce quomodo compatiuntur
vobis dii qui uulnera vestra sanaverunt. Beatissima Dorothea
respondit. O impudens et abhominabilis canis. cur non intellexisti.
Deus noster ihs xps ostendit in nobis virtutem. nam non dii tui.

scā eufemia dixit. Dixi tibi quia dii tui cervissime surdi sunt et muti.
quia nec tibi possunt subvenire nec aliis adiuvare. quomodo vul=
nera nrā curaverunt. Dns nr ihs xps nos curavit. quem tu non es
dignus ppter cecitatē cordis tui nominare. quoniam diabolus
tenet te obcecatū. Hec audiens serapis preses et canis rabidus
turbatus est valde. et iussit eas suspendi in culeo. et ad latera
earū lampades ardentes applicari. Ille vero aspicientes in
celū dixerunt. Tu qui scrutaris corda et renes. quia ancille tu
e semetipsas tradiderunt tibi. petimus ergo te Dne ne nos dere=
linquas ne gaudeat serpens ille antiquus de nobis. quem tu pro
mundi salutē in cruce triumphasti. sed tu Dne prope esto
oibus invocantibus te in veritate. Hec autem orantibus sissimis virgi=
nibus ac beatissimis. dixit scā Eufemia Serapio presidi. Vide
miser quia ignis iste non dolorem aut ardorem. sed refrigerium nobis
prestat. Tunc serapis preses in furore et ira commotus. iussit ma-
millas earū amputari. Et dum absciderentur mamille. beatissi=
me virgines psallebant dicentes versiculū hunc dicentes. Ne pro
w. 50. icias nos a facie tua. et spm scm tuū ne auferas a nobis. Cum
autem abscisse essent mamille earū. fecit eas serapis preses ante
canes proici. sed canes eas videntes fugerunt. Valentianus autem
sequebatur eas gaudens, et noctu veniens in locū illū ubi proiecte
fuerunt sanctarū mamille virginū invenit eas iacentes in tra.
et splendebant sicut rose. qui accepit eas. et dedit scō Hermacore
epō. Altero autem die iussit iniquissimus serapis preses. scās
virgines nudas circumduci per totam civitatē Aquilegiam qua=
tenus omnes viderent turpitudinem earum. Cum autem trahe=
rentur scā eufemia elevatis oculis in celū oravit dicens. Dne
Ds qui operis celum nubibus: mittere digneris scm Angelum
tuum qui cooperiat denudata corpora nra. ne videantur a
paganis. Et ecce Angelus Dni cooperuit eas stola candida con=
signans oē corpus earū. et vestivit eas ita ut nec cicatricum
quid in eis appareret. Circumferentes autem eas ministri
per totam civitatem aquilegie clamabant: Qui contempnunt
precepta Augusti et recedunt a cultura deorum. talem penam
patiuntur. Scs autem Hermachoras eps cum hec audisset
dixit sacerdotibus suis et fidelibus xpianis. Fres mei Dni ihu
xpi

Luc. 21 xps dixit discipulis suis. Cum audieritis prelia et sediciones
nolite terreri. Oportet enim hec fieri. sed nondum statim finis.
Et in alio loco ipse salvator dixit. Nolite timere eos qui corpus
Math. 10. 28. occidunt. animam autem non possunt occidere. sed potius eum
timete qui potest animam et corpus mittere in gehennam ignis.
Illum non timet iste nequissimus preses cum ministris suis. qui
diabolico furore pleni tanta exercent tormenta in virginib.
sacris ac beatissimis. Et cepit lacrimari beatus Hermagoras
eps. et beatus Valentianus una cum clero et populo. Altera
autem die adduxerunt milites beatissimas virgines ante ptrib.
Sevastus autem preses respiciens eas vidit sanctissima corpora earum
sana effecta et facies earum splendentes sicut solem. pre ni=
mio furore stabat stupefactus. Videns autem beata Eufemia
presidem stantem stupefactum dixit. Consimilis patri tuo
diabolo. et confusus a Dno ihu xpo quid stas? an per gratiam
quam Dns noster ihs xps operatus est in nobis? Hec audiens preses
ira commotus est. et dixit ad beatissimas virgines. Vos tres nichil
dicitis? Sca tecla respondit. Sufficit nobis quod soror nra lo=
quitur. Preses dixit. nocturnis horis meditamini scelesta
verba que ista nunc loquitur. Sca erasma dixit. Nos die
noctuque nil meditamur aliud nisi ut possimus placere Dno
nro ihu xpo. Nam ipse dixit. Cum steteritis ante reges et
Math. 10. 19. presides nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Preses
audiens hec magis ac magis furebat. et dixit ad dorotheam.
Tu nichil dicis? Sca dorothea respondit. Ego scio dicere
que tu non es dignus audire. sed dicam tibi hec que te decent
audire. Magister nr dixit discipulis suis. Nolite dare sanctum
canibus. et nolite proicere margaritas vestras ante porcos.
quorum tu similis es. Cum hec audisset Sevastus impius
tamquam leo rabidus dedit mugitum, et fremens dedit
sententiam dicens. Eufemiam. Dorotheam. teclam et
Erasmam. nobili genere existentes et per multa supplicia
pene punitas. non sacrificantes secundum precepta Augusti

iubemus

iubemus capite puniri. Tunc iniquissimus Valentius pater earum
audiens haec arripuit filias suas et servis suis et militibus iussit
comprehendere filias fratris sui. et cum magno furore cepit ire
ad domum suam. Beatissime virgines cum traherentur psallebant
davidicum versum dicentes. Anima nostra sicut passer erepta est de
ps. 123. In vers. ult. laqueo venantium. laqueus contritus est et nos liberati sumus.
adiutorium nostrum in nomine domini qui fecit celum et terram. Valentius
autem cum pervenisset ad domum suam. ascendit in ipsam turrim.
quam fecerat edificare pro filiabus suis. et fecit trahi beatissi-
mas virgines sursum in ipsam turrim a servis suis et dixit
ad eos. Ecce habitaculum quod vobis fieri iussi. in quo debuistis
letari et congratulari, et congaudere. et frui bonis huius seculi.
sed iudicastis vos indignas. Sanctissime vero virgines quasi
ex uno ore dixerunt. Nos speramus a domino nostro ihesu xpisto cui
nos ancille tradite sumus recipere habitaculum sempiternale.
quod numquam deficiet. in quo nemo esurit. nemo sitit. nemo
infirmatur. quo per tuam impietatem non es dignus intrare.
Hec audiens nequissimus Valentius furore repletus propriis
manibus amputavit honoranda capita earum. et ex alta
turri proiecit ea in natissae flumen. Erat enim hora undeci-
ma. Cumque impiissimus Valentius fatigatus in ipsa turri
de homicidiis que perpetrata habebat sederet. subito cecidit
ignis de celo super eum et consumpsit turrim; et valentium
et omnes qui cum eo erant in ipsa turri. ita ut nec pulvis
ex eis remaneret. Factus est autem terremotus magnus per
totam civitatem aquilegiam. ita ut populus clamaret
magnis vocibus. Magnus est Deus xpistianorum quem predicat
beatissimus Hermachoras episcopus pro cuius nomine passe sunt
beatissime virgines. Eufemia. Dorothea. Tecla. et Erasma.
Severus autem presbyter. atque cum deterior magno timore perterritus
fugit ad templum Iovis. et invenit templum ita obscuratum
ut ipse nichil videret. Beatus autem Valentianus ivit ad domum
sancti hermachore episcopi. et nunciavit ei quomodo impiissimus

pater

frater eius decollaverat filius eius et nepotes. et quomodo iactavit corpora earum sca de alta turri in aquam. et lacrimabatur. Tunc beatus Hermachoras eps cepit similiter lacrimari. et dixit ad beatum Valentianum. Eamus et inquiramus corpora sca. Erat enim nox. Tunc ceperunt iter cum clericis et viris religiosis. et venerunt ad domum beati Valentiani que erat iuxta natisse flumen edificata ad portam Valentianam. et invenerunt ad rippam fluminis natisse que vocatur rippa clementiana. que est ante domum beati Valentiani. et ibi sedebant. Et circa primam vigiliam noctis veniebat per medium flumen natisse navicula. et duo viri navigantes in ea splendidi. Et cum venissent iuxta domum Valentiani. venerunt ad rippam clementis ubi sedebat scs hermachoras eps cum suis clericis et viris xpianis. ibi iunxerunt ipsam naviculam. et unus eorum dixit. Sce hermachora epe. ecce thesaurus quem quaeris. et nusquam comparuerunt. Tunc scs Hermachoras eps cum clericis et fidelibus populis venerunt ad naviculam. et invenerunt ibi corpora sanctarum virginum et capita iuxta corpora posita. Tunc levaverunt corpora sca cum hymnis et psalmis. et venerunt ad domum Valentiani. et ibi cum aromatibus condierunt corpora sca. et sepelierunt in domo eadem in monumentis marmoreis parvulis. et edificavit scs Hermachoras eps ibi altare deprecante beato Valentiano. et ipsam domum ecclesiam consecravit ad honorem sce et individue Trinitatis. et ad honorem sce et perpetue virginis marie. et scarum virginum eufemie dorothee tecle et erasme. Et celebravit ibi missam. et morati sunt ibi usque in diem octavum cum hymnis et laudibus. Tunc beatus Hermachoras eps deprecante beato Valentiano. sedem beati Marci evangeliste ibi statuit. et ideo ibi morabatur cottidie cum clericis suis. Et ceperunt viri xpiani vocare ipsam domum matrem ecclesiam ubi recondita sunt sca virgines. Eufemia. dorothea. tecla.

et Erasma

et Erasma. in qua multa beneficia et sanitates prestat per ora
Dni usque in hodiernum diem. Beatus autem Valentianus
dedit omnes facultates suas et predia et possessiones et servos et ancil=
las sco Hermachore epo. ipse autem morabatur ibi cum eo. Tunc
sanctus Hermachoras eps cepit multas Christianas facere de
rebus valentiani: et in octavo die baptizavit inter viros et
feminas et pueros et puellas tria milia. Et cepit xpianorum
numerus crescere. ita ut tres partes civitatis pene videbantur
xpianos esse. Concurrebant igitur xpiani ad ipsum altare dia
noctisque quam scs hermachoras eps consecravit de domo bea
ti valentiani ubi sepulte sunt beate virgines. Passe sunt
autem beatissime virgines Eufemia Dorothea Tecla et
Erasma sub Nerone Imperatore et Sevasto preside in ci=
vitate Aquilegia quarto decimo Kalendarum octubris. Regnan
te Dno nro ihu xpo cui e honor et gla in scla sclorum. Am.

Specimen caracteris

Passio scarum Eufemiæ et Dorotheæ tecle et Erasme
v et m.

Incipit passio Sanctorum Hermacorae et Fortunati

Post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi omnes Apostoli miserunt sortes ut unusquisque in suam Provinciam proficisceretur ad praedicandum verbum Domini. Ad urbem vero Romam profectus est beatus Petrus Princeps Apostolorum ducens secum beatum Marcum; qui et ipse beati Petri primus fuit discipulus et morabatur cum eo in Urbe Roma. Tunc dixit ad eum beatus Petrus: Quid hic nobiscum moraris? tu eruditus es de omnibus quae fecit Jesus Nazarenus, surge et perge ad Urbem quae vocatur Aquileia Istriae Provinciae! ad praedicandum verbum Dei. Tunc accipiens Beatus Marcus primam sortem et baculum Pontificatus arripuit iter, et veniens pervenit ad praedictam Urbem quae dicitur Aquileja. Veniens autem ad praefatam civitatem invenit ibi juvenem nomine Ataulfum filium Ulfii illustris et primi Civitatis qui magna lepra detinebatur. Tunc interrogavit beatum Marcum de qua provincia iter faceret, et ipse enarravit quod Christianus esset et medicus ad omnes infirmitates curandas. Tunc juvenis audiens hujusmodi sermones ad pedes ejus pervolutus rogabat eum ut infirmitates ejus curaret. Tunc beatus Marcus apprendit manum ejus et brachium. mox lepra mundata est de manu et brachio ejus. Tunc videns juvenis haec mirabilia. citius cucurrit ad Patrem suum Ulfium, et omnia ei narravit, quae illi beatus Marcus fecisset. Celerius cum magna turba veniens Ulfius. et inveniens beatum Marcum ad portam occidentalem residentem rogare eum coepit et dicere: fac filium meum sanum! et omnia quaecumque postulaveris